

licentiam dederit et adsit gravissima causa, puta virum et feminam publice haberi ut legitimos conjuges, absque ulla criminis suspicione, reapse autem in concubinato perstare. Plura specialia statuta de his matrimoniis tulit Bened. XIV (Const. *Satis Vobis*, 17 Nov. 1741) ut hujusmodi matrimonia secreta serventur et tamen conjuges ad obligationes suas implendas adigantur. Insuper adverte talia matrimonia evulganda esse si quando alter conjux, vivente comparte, novum matrimonium attentaret, vel si conjuges, tam familiariter inter se viverent ut ceteris, matrimonium initum ignorantibus, scandalum darent: tum enim secreti observatio in damnum commune vel tertii cederet. (Ball. P. n. 1428)

Cum his matrimoniis conscientiae proprie dictis confundenda non sunt ea quae quandoque clam ineuntur cum solis substantialibus formalitatibus, puta quia lex civilis obstat ne in facie Ecclesiae contrahantur. Talia enim nequaquam occultanda manent, sed cum debitis cautelis evulganda sunt, ut scandalum tollatur quod forte e concubinato ortum sit vel, ignorato matrimonio, facile oriretur. Pariter a matrimoniis conscientiae discrepant ea quae *morganatica* vocantur, et ineuntur inter virum insigni nobilitate conspicuum et mulierem inferioris conditionis, ea lege ut liberi inde nascituri certa quadam portione bonorum paternorum, contenti sint, nullam vero partem in reliquis, neque in titulis et dignitatibus paternis habeant.

§ 2. DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO.

447. I. Consensus, in quo sacramenti materia et forma constant, debet esse:

1° *Verus*: nam, si alteruter contrahentium fecte consentit, deest contractus seu consensus duorum in idem placitum. Hinc qui, nullo metu cogente, fecte consensum daret, non tantum sacrilegium committeret ob irreverentiam sacramenti, sed et injustitiam ob damnum alteri bona fide contrahenti illatum. Hoc autem damnum plerumque reparari non poterit, nisi consensum verum dando. Etenim cum, in foro externo, vix posset hujusmodi fictio probari, altera pars ad alias nuptias transire non permetteretur, et sic cogere vel manere in nupta vel religionem ingredi. Excipe tamen: *a*) Si deceptor matrimonium jam cum alia vero consensu inierit. — *b*) Si damnum deceptae alio modo reparari queat, vel ipsa decepta aliam compensationem sponte admittat. — *c*) Si deceptor in longe altiori statu sit positus: quia matrimonia inter adeo dispaes solent infelices exitus habere. — *d*) Si contrahens manifesta consensus ficta indicia praebuit: tunc enim femina seipsam deceptit. (Schmalzgr. l. c. n. 268 seqq.)

2° *Mutuus*: est enim matrimonium contractus bilateralis, quo uterque jus in corpus suum tradit et acceptat.

3° *Liber*: invito enim nequit imponi onus perpetuum. Cfr. dicenda de impedimento vis et metus. (n. 490) Hinc matrimonii contrahendi incapaces sunt quicumque alios contractus inire nequeunt. (Vol. I. nn. 580, 586) Ideo invalide contraherent amentes, nisi in lucidis intervallis versentur, mente tam debiles ut naturam obligationis matrimonialis satis percipere nequeant, semi-ebrii, etc.

4° *Simultaneus*, saltem moraliter, et ita ut casu quo unus jam praestitit consensum, iste interea, donec etiam consentiat alter, neque expresse, neque tacite revocetur.

5° *Signis externis manifestatus*, ob rationem omnibus contractibus communem. (Vol. I. n. 585) Ad valorem certe non requiruntur verba formalia, sed sufficiunt quaelibet signa, ut nutus, scriptura, etc. Immo probabilius nullum est Ecclesiae praeceptum sub peccato etiam veniali obligans ad consensum verbis formalibus exprimendum, dummodo aliis signis ita manifestetur ut nullum de valore matrimonii dubium exsurgere possit. (Schmalzgr. l. c. n. 275)

458. II. Consensus datus sub condicione de praeterito vel de praesenti officit ut statim validum vel invalidum sit matrimonium, prout eo momento condicio ista vera vel falsa est. Nam nulla datur ratio ob quam matrimonium hac in re non sequatur ceterorum contractuum leges. (Vol. I. n. 595) Statim quoque valet consensus datus sub condicione de futuro necessario vel infallibiliter eventuro: aequivalet enim consensui dato sub condicione de praesenti vero. Excipe, si quando contrahentes existiment incertam esse condicionem reapse necessariam, vel hujusmodi condicionem apponant ut temporis praefinitionem, ex. gr. *Contraho tecum si pater meus morietur*: tunc enim suspendetur valor matrimonii donec condicio purificata sit. (Schmalzgr. in 4. Decr. t. 5. n. 19. seqq.)

Nullibi prohibitum est, et consequenter per se licet, matrimonium sub honesta condicione de praesenti, praeterito vel futuro contrahere. (Reiff. in eumd. tit. n. 22) Attamen, cum Rit. Romanum tamquam formam matrimonii in facie Ecclesiae celebrandi exhibeat consensum absolutum, et plurima incommoda ex adjectis condicionibus enasci pronum sit, parochus permittere nequit ut coram se contrahatur matrimonium condicionatum, nisi ob causam urgentissimam, et impetrata, quatenus fieri possit, Ordinarii venia.

III. Consensus datus sub condicione de futuro contingente honesto et possibili, nec substantiae matrimonii contraria, suspendit valorem

matrimonii, donec verificata fuerit : nam etiam hic matrimonium sequitur leges generales contractuum. (Vol. I. n. 595) Impleta autem condicione, dummodo prior consensus retractatus non fuerit, valebit matrimonium, nullo novo consensu posito, etiam antequam contrahentes de impleta condicione certiores facti sint. Attamen, antequam id noverint, matrimonio uti non licet, ne se constituent in periculo fornicationis. (Schmalzgr. l. c. n. 29 seqq.) Neque opus est ut, purificata condicione, consensum coram parcho renouent, ut a S. Pio V et Clemente VIII declaratum fuisse testatur Fagnanus. (in cap. *Super eo*, ejusdem tit.)

459. IV. Si matrimoniali consensui adduntur **condiciones contrariae substantiae conjugii**, contractus est invalidus. Ita declaravit Gregor. IX (Decr. l. 4. t. 5. c. 7) : " Si condiciones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri ; Contraho tecum si generationem prolis evites vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. „ Unice hic agitur de condicione de futuro, quae sola valorem matrimonii suspendit, ideoque sola proprie nomen condicionis meretur. Neque jure positivo inducta est haec nullitas. Ex ipso enim jure naturali, matrimonium in hoc casu nullum est, sicut quilibet contractus nullus est ubi, per condicionem ejus substantiae repugnantem, substantia ejus corrumpitur, puta si quis vellet emere rem ea condicione ut nullum pretium solvere deberet.

Ut aulem invalide contrahatur, necessarium est ut hujusmodi condicio expresse adjecta fuerit contractui matrimoniali, aut saltem ut alteruter vel uterque, dum contrahunt, intentionem habuerit se non aliter obligandi. Validum vero censendum est, in utroque foro, matrimonium quod contractum est cum intentione veri matrimonii ineundi, sed cum proposito non servandi ejusdem obligationes, etiam substantiales, ex. gr. non abstinendi a commercio carnali cum tertia persona (Vol. I. n. 585), vel cum intentione quae sit quidem substantiae matrimonii contraria, ex. gr. faciendi divortii in casu adulterii, sed tantum concomitanter se habeat, neque in pactum deducatur. Vid. in hoc ultimo casu habetur voluntas aliqua absoluta ineundi matrimonii validi, cui praeponderare nequit intentio substantiae matrimonii contraria, orta ex errore quo quis putat aliquam intentionem, ex. gr. faciendi divortii, in certis casibus cum vero matrimonio stare posse. In hoc quasi conflictu duarum voluntatum contrariarum, praevalet voluntas absoluta ineundi matrimonii veri, quae implicite continet revocationem alterius. Sic etiam valide baptizat qui vult facere quod Christus instituit, non autem quod facit Ecclesia Romana. (Lugo, de Sac. in genere, disp. 8. sect. 8)

In foro autem externo, cum de intentione occulta vix constare possit,

censetur validum matrimonium, dummodo intentio substantiae matrimonii contraria non fuerit in pactum deducta. Ita Pius VI (Litt. ad Archiep. Prag. 11 Jul. 1789) de matrimoniis haereticorum existimantium divortium in casu adulterii licere : " Si condicio legalis vinculi conjugalis allatis de causis solvendi, per pactum expressum matrimonio apponatur, nullum et irritum ab initio dicendum erit matrimonium... Si vero nulla fuit apposita expressa ejusmodi condicio repugnans substantiae matrimonii, licet contrahentes generatim intendant contrahere juxta placita sectae aut legis concedentis dissolutionem vinculi conjugalis, nihilominus matrimonium valide contractum censendum erit. „

Reputandae sunt substantiae matrimonii contrariae condiciones quibus tollitur quodlibet e tribus bonis matrimonii, vid. bonum prolis, fidei vel sacramenti. *Bonum prolis* spectat procreationem et educationem liberorum : huic repugnant condiciones de semine extra vas emittendo, de procurando abortu, etc. *Bonum fidei* consistit in mutua fidelitate quam conjux uterque alteri servare tenetur, tum reddito debito conjugali, tum vitata commixtione cum tertio : huic repugnant condiciones quibus excludatur mutua potestas in corpus alterius, vel imponatur obligatio se aliis pro quaestu prostituendi. *Bonum sacramenti* poscit individuum vitae societatem, et hoc nomine vocatur quia strictius servandum est inter fideles ob sacramenti proprie dicti dignitatem : huic repugnat condicio solvendi matrimonialis vinculi ob causam adulterii, discordiarum, etc. (Schmalzgr. l. c. n. 6 seqq.)

Practice saepius ob intentionem contrariam bono sacramenti quam ob intentionem reliquis bonis contrariam invalidum erit matrimonium. Etenim, si quis intendit facultatem servare discedendi a comparte vel etiam aliam ducendi, manifestum fit eum nolle suscipere obligationem perpetuae societatis cum priore sponsa servandae. Ubi vero reliquis bonis adversatur condicio, ex. gr. non utendi matrimonio nisi onanistice, sive ab initio, sive postquam duo tresve liberi suscepti fuerint, facilius continget sponso velle omnes matrimonii obligationes in se suscipere, et hac conventionem intendere tantum ut impune eas postea non servent. Immo regulariter haec mens ipsis supponenda est, cum plerique intendunt absolute inire matrimonium, neque tale pactum adiciant tamquam conditionem sine qua non. (Ball. P. n. 494 ; Lehmk. II, n. 689) Si res dubia esset, in foro conscientiae, plerumque nihil aliud superesset quam ut consensus absolute renovaretur.

Probabilius non repugnat substantiae matrimonii condicio adjecta de virginitate servanda. Sicut enim, contracto jam matrimonio, possunt conjuges mutuo consensu vivere continentiam, ita et in eodem contrahendo facere possunt. Matrimonium quod cum tali condicione initur, ut factum est a B. M. V. cum S. Josepho, et a quibusdam Sanctis, duplici

contractui aequivalet : uno, qui matrimonii proprius est, potestas mutuo in proprium corpus alteri taaditur ; altero, uterque cedit usu seu exercitio hujus juris. (Ball. P. n. 423) Alii tamen (Schmalzgr. l. c. n. 120. qui et alios plures veteres citat ; Rosset, de Sacram. Matrim. n. 194 seqq.) hujusmodi condicionem matrimonii substantiae repugnare autumant : quia de substantia illius est mutua corporum traditio, vi cujus matrimonium contrahentes in se mutuo transferunt jus in corpus suum ad actus conjugales, ac proinde se obligant ad eos reddendos ; contrahentes vero sub condicionis servandae aut vovendae perpetuae castitatis, jus istud et implicitum consensum ad actus conjugales reddendos appositione talis condicionis excludunt, cum vi illius ad copulam non exigendam et non reddendam obligentur. Sed, ut advertit Palmieri (Ball. P. n. 424, nota) in hoc argumento confunditur jus cum exercitio juris, atque ideo renuntiatio utendi jure confunditur cum non existentia juris. Obligatio enim ad non exigendum componi potest cum jure exigendi, ut patet in eo qui voto obstrictus matrimonium init.

460. V. Matrimonium cui adjiceretur condicio impossibilis vel turpis de futuro, in foro externo, praesumendum est validum.

Constat ex Decretali mox cit. in qua ita prosequitur Gregor. IX : " Aliae condiciones, si turpes aut impossibiles fuerint, debent, propter ejus (matrimonii) favorem, pro non adjectis haberi. " Vid. Ecclesia jure merito praesumit contrahentes condicionem impossibilem potius joco quam animo huic alligandi consensum suum adjecisse, nec voluisse condicione turpi ad peccandum allicere. Haec tamen tantum juris praesumptio est, quae in foro interno cedit veritati et in ipso foro externo contrariis probationibus elidi potest.

Ab hac praesumptione tres casus excipi solent :

1° Si contrahentes ignorabant condicionem esse impossibilem vel turpem. Hac ignorantia existente, matrimonium initum sub condicione impossibili, ex. gr. si consentiant parentes jam defuncti, nullum est ; initum sub condicione turpi, ex. gr. si furtum feceris, saltem suspenditur donec condicio impleta fuerit. Num, impleta condicione turpi, valeat hujusmodi matrimonium, disputant AA., ut de quocumque contractu turpi dictum est Vol. I. n. 584.

2° Si contrahentes ignoraverint cit. constitutionem Gregorii IX. Qui enim eam ignorant, ut fere semper continget, praesumendi sunt huic condicione vere alligasse consensum.

3° Si constat hujusmodi condicionem serio adjectam fuisse. Ita nullum judicandum esset matrimonium contractum a juvene divite cum puella paupere, sub condicione : Si centum francorum millia in dotem dederis, quia satis patet haec ab eo dicta esse ut indicaret se nullam obligationem

suscipere velle. Item nullum foret matrimonium contractum sub condicione educandi liberos in haeresi. Sed saepe haec clausula aliaeve similes non adduntur per modum condicionis suspensivae, ita ut unus contrahentium nolit valere contractum nisi alter ex animo promittat rem inhonestam suo tempore exsequi ; adduntur potius tamquam *modus* seu obligatio accessoria, ad quam una pars alteram vult obligari post perfectum contractum matrimonialem, cujus valorem minime intendit hujus oneris adjectione suspendere. (Schmalzgr. l. c. n. 139 seqq.)

§ 3. DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

461. Duae sunt proprietates matrimonii, quas fusius probare solent Dogmatici e revelatione, Philosophi Morales e penu rationis : unitas et indissolubilitas. Quae ex indissolubilitate ad nostram disciplinam pertinent, tractabimus n. 555 seqq. Hic breviter tantum doctrinam de unitate matrimonii subjiciemus.

I. Polyandria repugnat juri tum naturali, tum divino, ideoque semper et ubique prohibita fuit. Repugnat enim primario conjugii fini, vid. generationi et bonae educationi prolis, cum rariores faciat partus et incertum patrem, cui praecipue educandae prolis cura demandata est.

II. Polygamia simultanea saltem fini secundario conjugii, nempe tranquillae cohabitationi conjugum, repugnat. In omnibus gentibus prohibita est ex quo Christus (Matth. XIX, 3 seqq.) matrimonium revocavit ad primaevam unitatem, quam a divino institutore (Gen. II, 23) acceperat. Igitur abolita est dispensatio quam DD. communiter censent viguisse in populo Dei, ex. gr. tempore Patriarcharum, vel etiam forte inter alias gentes. Matrimonium ergo quod ipsi infideles attentant cum secunda vel tertia uxore, vivente prima, invalidum est, et tenentur hanc solam servare vel repetere, reliquis dimissis.

III. Mortuo viro vel uxore, licet parti superstiti secundas vel ultiores nuptias inire, ut patet e ss. Litteris (1 Cor. VII, 39) et ecclesiastica traditione. Videsis Canonistas tit. ult. l. 4. Decr. interpretantes. Haec libertas statim ab obitu compartis, in conscientiae foro, datur, etiamsi forte leges civiles (C. C. a. 228) viduae superstiti novas nuptias per aliquot menses prohibeant. Sed cavendum ab incapacitatibus vel poenis civilibus.